

precibus ac eleemosynis ad finem praeclarum Catholicae Fidei propagationis concurrant, ac Indulgentiis et Gratiis a pia Matre Ecclesia copiose concessis perfruantur. Quapropter animarum Pastores, et praecipue Locorum Ordinarii, Fidei ac Religionis dilatandae zelo succensi verbis et scriptis subditos sibi fideles ad praeclarum opus substantandum inflament, et simul omnes preces, supplicationesque apud Deum Patrem Omnipotentem offerre quotidie non cessent, ut cum messis multa sit, mittere dignetur operarios in vineam suam, et opportunis subveniat auxiliis ad onera ingentia ubique terrarum perferenda pro majori catholicae Ecclesiae dilatatione, ut omnibus tandem hominibus in unitatem fidei occurrentibus fiat unum ovile, et unus Pastor. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secret. Sac. Congregationis Indulgentiarum die 5 Augusti 1851.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCXVI.

URBIS ET ORBIS

Cum Reverendissimus P. Praepositus Generalis Societatis Jesu humillime exposuisset, nonnullos ejusdem Societatis alumnos instituendis in pietate et litteris adolescentibus potissimum addictos, ad elidendos conatus inimici humanae naturae, qui malis artibus, instigatione et consiliis pravorum ejusdem aetatis sociorum, ipsorum etiam non raro parentum exemplis in perniciem, praesertim ad mores dissolutos trahere eos nititur, praesentissimum auxilium se habituros confidere si ipsis insinuare valeant, ut in periculis seu tentationibus contra castitatem ad Beatae Virginis Mariae patrocinium confugiant; cumque ad hunc finem consequendum ipsi Societatis Jesu alumni praeopportunam esse experti sint praxim recitandi mane et vespere post Salutationem Angelicam praefatam orationem: *O Domina mea! O Mater mea! Tibi me totum* etc. et in quavis tentatione Aspirationem breviorum *O Domina mea! O Mater mea! Memento me* etc., hinc supra-

dictus Reverendissimus P. Generalis enixis precibus supplicationem porrexit Sanctitati Suae ad facilius inducendos juvenes ad eandem praxim amplectendam ut Sacro Indulgentiarum thesauro de benignitate Apostolica illam adhibentes ditare velit. Quapropter Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX enunciatis precibus benigne annuens omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui praefatam Orationem quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, mane et vespere post dictam cum fervore, et corde saltem contrito, Salutationem Angelicam, recitaverint, Indulgentiam centum dierum semel in die, iis vero qui singulis diebus per mensem id praestiterint, Plenariam semel in mense acquirendam, ea die qua vere poenitentes confessi, ac sacra Communione refectioni aliquam Ecclesiam, seu publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint; et quoties in quavis tentatione praefatam aspirationem tantum breviorum, quocumque pariter idiomate, dummodo versio sit fidelis, corde pariter contriti, ac devote recitaverint, totius quadraginta dierum Indulgentiam clementer elargitus est. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione, et cum facultate easdem Indulgentias in suffragium fidelium Defunctorum applicandi, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 5 Augusti 1851.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

ORATIO

O Domina mea! O Mater mea! Tibi me totum offero, atque ut me Tibi probem devotum, consecro Tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum. Quoniam itaque tuus sum, o bona Mater, serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam.

ASPIRATIO IN QUAVIS TENTATIONE

O Domina mea! O Mater mea! memento me esse tuum. Serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam.

DCXVII.

URBIS ET ORBIS

Ad humillimas preces P. Procuratoris Generalis Clericorum Regularium de Somascha nuncupat. Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX benigne inclinatus universis Christifidelibus, qui cordem saltem contrito sequentem Jaculatoriam uti asseritur a S. Hieronymo *Æmiliani* eorumdem Clericorum Regularium Fundatore recitatam « *Dulcissime Jesu, ne sis mihi Judex, sed Salvator* » quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, devote recitaverint, Indulgentiam quinquaginta dierum, pro qualibet ipsius Jaculatoriae recitatione peramanter in perpetuum est elargitus. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 11 Augusti 1851.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCXVIII.

URBIS ET ORBIS

Cum pietas ac devotio fidelium erga Divini Reparatoris Nostri Passionem ubique suscipiat incrementum, per spiritualia praesertim exercitia, sacrasque Missiones, quae ab Alumnis Ven. Congregationis Clericorum Regularium Excalceatorum Sanctissimae Crucis et Passionis D. N. J. C. peraguntur, Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX humillimas porrexit preces Reverendissimus Praepositus Generalis ejusdem Congregationis ut Indulgentias universis Christifidelibus Coronam quinque Vulnerum Christi Domini Salvatoris a sa. me. Leone PP. XII Praedecessore Suo elargitas, de Apostolica benignitate extendere dignaretur. Votis itaque Oratoris clementissime susceptis, Sanctitas Sua ut Crucifixi Passionis et Plagarum memoria per frequentiore praefatae Coronae recitationem in fidelium Cordibus validius infigatur, non modo confirmavit singulas Indulgentias in Summario Sac. hujus

Congregationis Indulgentiarum sub die 20 Decembris 1823 recensitas, verum etiam omnibus utriusque sexus Christifidelibus ipsam Coronam decies saltem in quolibet mense devote recitantibus, Indulgentiam Plenariam in festivitatibus Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Sanctissimi Nominis Jesu, Dominica Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Christi, ac Trasfigurationis D. N. J. C. vel in eorum octiduis incipiendam a primis vespere praedictarum festivitatum usque ad totas earumdem festivitatum Octavas semel tantum spatio uniuscujusque octidui ab unoquoque acquirendam, dummodo iis diebus vere poenitentes confessi, ac S. Communionem refecti, aliquam Ecclesiam seu publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint peramanter voluit imperferi. Facta quoque potestate easdem Indulgentias animabus in Purgatorio detentis applicandi. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituris, absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secret. Sac. Congregationis Indulgentiarum die 11 Augusti 1851.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
J. Gallo Secret.

DCXIX.

INCERTI LOCI

Cum ex Decreto Sac. Congregationis Rituum sub die 2. Septembris 1741. In Missis defunctorum in paramentis nigris non ministretur Eucharistia per modum Sacramenti extrahendo Pixidem a custodia et paramenta nigra hic exclusive intelligantur, ita ut liceat ministrare Eucharistiam per modum Sacramenti si Missa de Requiem dicatur in paramentis violaceis (S. Ligor. de Euchar. num. 249) Et ex altera parte, ex responso Sac. Congregationis Indulgentiarum sub die 11 Aprilis 1840: cum Sacerdos debeat celebrare in paramentis nigro colore diebus non impeditis, ut Altaris Privilegiati Indulgentiam consequatur: quaeritur.

1.º Utrum in allata responsione Sac. Congregationis Indulgentiarum 11 Aprilis color niger pariter sensu exclusivo debeat

intelligi, ita ut Indulgentiam Altaris Privilegiati non consequatur qui (v: gr: administrandam Eucharistiam per modum Sacramenti) cum paramentis violaceis Missam de Requiem celebret?

2.º Utrum qui hac vel alia quacumque ratione Indulgentiam Altaris Privilegiati non lucretur, possit satisfacere applicando aliam Indulgentiam Plenariam Defunctis pro quibus ad Altare privilegiatum celebrare debuerat?

Sac. Congregatio respondit ad primum « Ut fruatur Altari privilegiato Sacerdos diebus non impeditis celebrare debet Missam defunctorum, et uti paramentis nigris, vel ex rationabili causa violaceis »

Ad secundum « Negative » Et ita decrevit die 16 Februarii 1852.

DCXX.

INCERTI LOCI

Cajus Sacerdos habens Privilegium personale Altaris privilegiati, bis aut ter in hebdomada accepto stipendio pro Missa celebranda in Altari privilegiato, ex praetextu personalis privilegii ejusdem Altaris privilegiati, celebrat in Altari non privilegiato.

Quaeritur an bene se gerat, et utrum oneri suscepto satisfaciat?

Sac. Congregatio respondit « Affirmative » die 16 Februarii 1852.

DCXXI.

MEDIOLANEN.

Cum prope Basilicam Sanctorum Apostolorum ac S. Nazarii in Civitate Mediolanensi vertente anno 1845, quatuor Sepulchra fuerint inventa, quorum unum singula unius humani corporis ossa atque partem ex ossibus alterius corporis una cum sanguinis vase complectebatur, Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Carolus Cajetanus Gaysruck cla: me: Archidioecesis Mediolanensis Antistes huic Sacrae Indulgentiarum, Sacrarumque

Reliquiarum Congregationi dubia proposuit « 1.º An inventa corpora vere Martyrum dicenda sint? Et quatenus affirmative. 2.º An publicae fidelium venerationi sint exponenda? Hinc Eminentissimi Patres praefatae Sac. Congregationis in generalibus Comitibus apud Vaticanas Aedes die 16 Februarii 1852. habitis, visa fidelissima relatione hujusmodi Corporum inventionis, auditis quoque Consultorum votis, caeterisque mature perpensis, tam ad primum quam ad secundum dubium responderunt « Affirmative »; Factaque de his omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX per me infrascriptum ejusdem Sac. Congregationis Cardinalem Praefectum relatione in Audientia diei 15 Martii 1852; Sanctitas Sua supraenunciatam Resolutionem benigne approbavit.

Datum Romae ex Secretaria ipsius Sac. Congregationis Indulgentiarum.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.

DCXXII.

URBIS ET ORBIS

In Sacra Congregatione Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praeposita apud Vaticanas Aedes die 16 Februarii 1852 habita, duo enodanda delata fuerunt dubia « 1.º An scilicet in Jubilaeo tum ordinario, tum extraordinario, servandae sint omnes regulae a S. P. Benedicto XIV traditae, quibus non adversatur Bulla Jubilaei? » « 2.º In Bulla Jubilaei solet prescribi visitatio plurimum Ecclesiarum ejusdem Civitatis aut loci: sed plurimis in locis unica adest Ecclesia. An in hoc casu Episcopus possit visitationem coeterarum Ecclesiarum in aliud opus pium commutare; vel etiam Cappellam, Altare, Crucem, aliumve pium locum Ecclesiarum loco visitandum designare? » Cum vero Eminentissimi Patres in generalibus Comitibus ut supra habitis, re mature perpensa, fuerint in voto quoad primum « Affirmative », quoad vero secundum « Supplicandum a Sanctissimo ut per Decretum generale facultatem tribuat Ordinariis toties visitandi unicam Ecclesiam quot sunt Ecclesiae pro acquisitione Jubilaei vi-

sitandae »; de omnibus per me infrascriptum Sac. Congregationis Cardinalem Praefectum Sanctissimo Domino Nostro PP. Pio IX facta fuit relatio in Audientia diei 15 Martii 1852, et Sanctitas Sua de Apostolica benignitate, resolutionem ejusdem Sac. Congregationis approbavit, ac propositam facultatem Ordinariis in casu et ad effectum de quo supra benigne concessit, et ut praedicta Concessio omnibus patefiat, per Decretum generale publicandum esse mandavit. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Colombo Secret.

DCXXIII.

BRIOCEN.

Ante tempora luctuosae memoriae perturbationis in Gallia anno 1769 in pluribus Dioecesis Briocensis Ecclesiis Parochialibus existebant Confraternitates quae canonice fuerant erectae, sicuti adhuc pro aliquibusdam constat authenticis monumentis, quae quidem Ecclesiae dispersis seu occisis pastoribus, derelictae fuerunt vel dirutae « Vi Concordati de rebus ecclesiasticis inter primum Consulem et Almam Curiam (anno 1801 die 15 Julii artic. 9). Nova circumscriptio saeculo praesenti ineunte facta fuit Pareciarum in Dioecesi Briocensi, sed nonnullae e praefatis et antiquis Ecclesiis parochialibus in nova restauratione comprehensae non fuerunt: longiore adhuc elapso tempore et dolendae nimium perturbationis difficultatibus remotis, quaedam ex his Ecclesiis cum approbatione Gubernii Gallici nec non Ordinarii de novo titulum Ecclesiae Parochialis obtinuerunt.

Nunc quaerit 1.º An Indulgentiae rite olim concessae Ecclesiis de quibus supra agitur adhuc reviviscant cum eadem Ecclesiae canonice Pareciales iterum factae sunt?

2.º An Confraternitates quae olim in hisce praedictis Parochialibus Ecclesiis existebant, adhuc gaudeant ejusdem erectionis canonicae titulo, nec non Indulgentiis ab Alma Curia concessis harum Confraternitatum Sociis?

Sac. Congregatio auditis Consultorum votis respondit die 16 Februarii 1852 ad primum « Consulendum Sanctissimo pro confirmatione Indulgentiarum ad cautelam ». Ad secundum « Constituto prius de nova canonica erectione providebitur »; et facta relatione ab Eminentissimo Cardinali Fabio Asquinio Praefecto, Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX in Audientia diei 15 Martii 1852 Sanctissimus quoad primum confirmationem Indulgentiarum in perpetuum concessarum, ad cautelam benigne imperitus est, servato in omnibus earundem concessionum tenore.

Quoad vero secundum videnda quoque est Resolutio in una Cameracensi sub die 22 Februarii 1847 pag. 495 dub. 3.º

DCXXIV.

MACERATEN.

Eminenza Reverendissima

Il Priore e Guardiani della Venerabile Confraternita della Santissima Trinità eretta nella Chiesa dedicata a Maria Santissima sotto l'invocazione della Misericordia in Macerata avendo ottenuto l'Indulgenza Plenaria quotidiana perpetua pro vivis et defunctis, domandano se una tale Indulgenza possa lucrarsi ogni giorno da ciascun fedele confessato e comunicato visitando la detta Chiesa, ovvero una volta dentro il corso dell'anno. Che etc.

Sacra Congregatio sub die 16 Februarii 1852 praefato dubio rescripsit « Dilata » sed in Audientia Sanctissimi sub die 15 Martii 1852 habita ab Eminentissimo Card. Asquinio hujus Sac. Congregationis Praefecto Sanctissimus Indulgentiam Plenariam quotidianam perpetuam vel ad tempus concessam visitantibus aliquam Ecclesiam, seu publicum Oratorium ita semper intelligendam esse mandavit, ut semel in anno tantum ab unoquoque fidei acquiri possit: excepto solummodo casu quod in Decreto, Rescripto, Brevi etc. concessionis favore alicujus Ecclesiae seu publici Oratorii clare et explicitè expressum sit Indulgentiam Plenariam reapse quotidie ab unoquoque Christifideli rite disposito acquiri posse.

DCXXV.

URBIS ET ORBIS

Cum ad Indulgentias acquirendas persaepe contingat, ut inter praescriptas conditiones, vocales quoque preces injungantur, postulante Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Jacobo Aloisio Brignole Pii Instituti Surdorum ac Mutorum in Urbe Protectore, cum etiam plures Moderatores horum Institutorum idipsum enixe postulaverint, propositum fuit dubium huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum « *An et quomodo Surdo-Muti supplere valeant impotentiae, qua detinentur preces recitandi pro Indulgentiis acquirendis injunctas?* » Re mature discussa tum prius ab uno ex praefatae Congregationis Consultoribus, tum demum ab Eminentissimis Patribus in Comitibus generalibus apud Vaticanas Aedes die 16 Februarii hujus anni habitis, Ipsi Eminentissimi Patres ejusdem Consultoris voto adhaerentes responderunt: « Supplicandum Sanctissimo pro generali Decreto ab hac Sacra Congregatione evulgando, atque Apostolica Auctoritate firmando, cujus vi statuendum » 1. Quod si inter opera pro lucranda Indulgentia praescripta sit visitatio alicujus Ecclesiae, Surdo-Muti Ecclesiam ipsam devoti visitare teneantur, licet mentem tantum in Deum elevent, et pios affectus. 2. Quod si inter opera sint publicae preces, Surdo-Muti possint lucrari Indulgentias iis adnexas corpore quidem conjuncti caeteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata, et piis cordis affectibus. 3. Quod si agatur tandem de privatis orationibus, proprii Mutorum et Surdorum Confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire judicaverint. Facta itaque de praefatis omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX per me infrascriptum Sac. Congregationis Indulgentiarum Cardinalem Praefectum relatione in Audientia diei 15 Martii currentis anni, Sanctitas Sua non modo praedictum votum approbavit, verum etiam hujusmodi Gratiam ac Concessionem peramanter elargitam per generale Decretum publicari mandavit.

Datum Romae ex Secretaria Ejusdem Sac. Congregationis Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praepositae die 15 Martii 1852.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Colombo Secret.

DCXXVI.

BRIOCEN.

Episcopus Briocensis proponit casus infrascriptos.

1.º *Indulgentia concessa pro aliquo festo cessatne cum illud festum transfertur?*

2.º *Sacerdos qui habet facultatem applicandi tantum privatim Indulgentias piis rebus potestne in fine officii publici applicare Indulgentias iisdem rebus depositis super aliquo Altari quod designavit?*

3.º *Indulgentia concessa pro festo S. Mariae Magdalenae (de Pazzis) estne lucranda die 25 vel 27 mensis Maii? (In Dioecesi Briocensi illud festum die 27 Maii celebratur).*

4.º *Si Christifidelis culpa certae immemor est ex ultima absolutione, teneturne ad absolutionem recipiendam ut lucrari possit Indulgentias pro quibus confessio Sacramentalis praescribitur?*

Sacra Congregatio diei 16 Februarii 1852 respondit « Ad primum » Supplicandum Sanctissimo pro generali concessione translationis Indulgentiarum cum Solemnitas festi cui adnexae sunt Indulgentiae (non tamen quoad officium tantum) legitime transfertur. Ad secundum « Negative » Ad tertium « Lucretur in casu die 27 Maii » Ad quartum « Affirmative ».

Et facta de omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX relatione ab Eminentissimo Card. Asquinio Praefecto, in Audientia 6 Maii 1852 Sanctissimus resolutiones Sac. Congregationis approbavit, et quoad primum, mandavit publicari Decretum Generale juxta mentem ut infra; et quoad quartum jussit rescribi « Affirmative servato Decreto Sac. Congregationis Indulgentiarum diei 9 Decembris 1763 a san. me. Clementis XIII approbato ».

DCXXVII.

(*Sequitur Generale Decretum*)

URBIS ET ORBIS

Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit in fidelium utilitatem, atque earum usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmet Sancta Tridentina Synodus (Sess. 26 de cr. de Indulg.), congruum omnino videtur omne studium impendere ut Indulgentias, quae occasione dierum festorum vel concessae jam sunt vel concedentur, fideles facilius lucrari possint, eoque magis cum ingens populi Christiani concursus ad ea festa celebranda conveniat. Jam vero cum, hac nostra praesertim aetate, maxime ob Ecclesiasticas Conventiones ab Apostolica Sede cum exteris nationibus initas, festorum legitimae translationes occurrant; et generatim cum per hujusmodi translationes ex justis causis, debitis tamen cum facultatibus factas (licet etiam pro sola externi cultus celebratione quin et una simul Officium cum Missa transferatur), fidelium devotio excitetur ad laudandum Dominum in Sanctis ejus, huic fidelium pietati fovendae atque animarum saluti quam maxime interest ut etiam Indulgentiae his festis adnexae transferantur. Quamvis autem alias tum a S. Rituum Congregatione tum ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita quaesitum fuerit, utrum in translatione festorum etiam translatae intelligantur adnexae Indulgentiae, et vel negativa intercesserit responsio, vel in singulis casibus recurrendum esse ad hanc Sac. Congregationem sancitum esset, nec unquam generali decreto publice evulgato usque huic translationi Indulgentiarum provisum fuerit; attamen Eminentissimi Patres in Generalibus Comitiis hujus Sacrae Congregationis, attentis actualibus temporum hujusmodi et peculiaribus locorum et Ecclesiarum et fidelium circumstantiis, atque etiam die 16 Februarii currentis anni pro concessione generali translationis Indulgentiarum occasione translationis festorum supplicandum Sanctissimo unanimiter censuerunt. Sanctissimus itaque Dominus Noster Pius PP. IX audita de his omnibus rela-

tione per me infrascriptum Secretariae ejusdem Sac. Congregationis Substitutum in Audientia diei 9 Augusti 1852 facta, benigne mandavit ut omnes Indulgentiae quae hucusque quibusdam festis concessae fuerunt ac in posterum concedentur, vel quae pro iisdem festis aliquibus Ecclesiis et publicis Oratoriis pariter concessae fuerunt et in posterum concedentur, vel etiam si libuerit de consensu Ordinarii illae concessae in Sacris Supplicationibus, aut in Novendialibus, vel Septenariis, sive Tri-duanis precibus ante vel post festum vel ejus Octavario perdurante; translatae intelligantur pro eo die quo festa hujusmodi vel quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem (non tamen quoad Officium et Missam) in aliquibus locis, vel Ecclesiis, publicisque Oratoriis, sive in perpetuum sive aliqua occasione, sive ad tempus, eoque durante, legitime transferuntur. Cum vero transfertur tantum Officium cum Missa non autem Solemnitas et exterior celebratio festi, Indulgentiarum nullam fieri translationem decrevit.

Hanc autem Apostolicae benignitatis concessionem Eadem Sanctitas Sua quibuscumque in contrarium non obstantibus, ac perpetuis futuris temporibus, absque ulla Brevis expeditione valituram, per hoc Sac. Congregationis Decretum typis impressum publicari voluit, dummodo ceterae omnes aliae conditiones in particularibus vel generalibus concessionibus praedictarum Indulgentiarum pro iis adipiscendis praescriptae omnino serventur.

Datum Romae ex Eadem Secretaria Sac. Congregationis Indulg. die 9 Augusti 1852.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

Aloisius Archipr. Prinzivalli Substit.

DCXXVIII.

URBIS ET ORBIS

Cum in Collectione Precum ac Piorum operum vulgo Raccolta di Orazioni e pie opere per le quali sono state concedute dai Sommi Pontefici le Sante Indulgenze duodecies jam Romae typis evulgata, pro quibus a Summis Pontificibus per